

Jam dudum Te Petrum cognominavi: ac ne nunc quidem ejus facti po-
nitet. Jam enim confessionem talem de me edidisti, quæ est vera Petra
& fundamentum Christianæ religionis: quod videlicet ego sim unigeni-
tus Dei filius, Christus, mundi servator. Quisquis enim vera fide huic
confessioni innixus fuerit, is certissimè vitam æternam consequetur.
Eam ob Causam Evangelion meum (cujus tua confessio est Epitome) in
universo mundo predicari curabo: ut quisquis hanc piam tuam confes-
sionem, sive Evangelium meum, fide apprehenderit, is veluti firmissime
petra superædificatus, adversus omnes Satanae impetus conservetur ad
vitam æternam.

SECTIO II.

EXHIBENS

Questiones tum Philologicas, tum Theologicas

QVÆSTIO I.

An Evangelium Matthæi quoad exemplar authenticum, ve-
reque; Canonicum ab autore ebraicè conscriptum sit?

Pontificii affirmant, illudque; & h. l. magnificiunt *Bellarmin.* Lib. III.
de V. D. c. 7. ab init. *Baronius* ad A. C. 34. n. 165. *Maldonatus* in Matth.
5. p. 7. *Conzen.* in Matth. p. 8. Consentit *Hornejus* Part. I. disput. Theol.
I. 2. sect. 4. th. 148. *Calixtus* Concordia Evangel. p. 1. Nostrates verò
constanter negant, asserentes, Evangelium Matthæi quoad Exemplar
authenticum non Ebraico, sed Græco idiomate exaratum esse.

PROBATIO.

Arg. I. à *Nominum Ebraicorum Explicatione*; Nulla lingua sei-
psam explicat. Jam verò Hebraica vocabula, quoties in Matthæo ad-
ducuntur; protinus per verba alia explicantur, ut c. I. 23. *Vocabunt*
nomen ejus Immanuel, quod est interpretatum nobiscum DEUS; & c.
XXVII. 46. Eli Eli lama Sabachtani; h. e. DEUS mi, DEUS mi, ut quid
dereliquisti me. Agnoscit, admittitque; hujus rationis vim Cardinalis
Cajetanus (2) ex *Scripturæ V. T. allegatione.* Si Matthæus hebraicè
scripsisset, nequaquam in citatione locorum V. T. versione Græcâ LXX.
Interpret. (quæ sæpenumero recedit à fontibus) usus esset, e. g. *Matt.*
IV. 10. & ipsi soli servies, ubi Exclusiva non habetur in fontibus, sed
Interpp. LXX. virali (3) ex *providentia divina periclitatione*, quæ sa-